

et angelis sonant simpliciter verba Scripturae loc. cit. posita: Et ita sentiunt *Athanasius*, *Lactantius*, *Augustinus*, et *Gregorius Nazianz.* Hoc tamen concilium non est habitum in coelo, ex quo scimus cecidisse satanam, sed in terra, et forte in domo s. *Iobi*, in qua etiam erant huius filii, eorumque tutelares gemini. Unde dum s. Scriptura ait, filios Dei, seu angelos adstitisse coram Domino, hoc non intelligendum est de assistentia in coelo, sed in terra, quia Deus sua immensitate omnia replet, et ubique est, in coelo et in terra. Eleganter hanc rem explicat s. *Athanasius* (1). Cum enim quaesivisset his verbis: « Cum ex coelo diabolus prolapsus sit, quomodo scriptum est in libro *Iob*, quod ingressi sint angeli Dei, ut starent in conspectu Dei, et in medio eorum diabolus? » Respondet his verbis: « Non dicit Scriptura, quod in coelis diabolus venerit in medio angelorum. Manifestum igitur est, quod in terra. Etenim ubicumque sint angeli, astant Deo. Verum sciendum est, quod per sanctum aliquem angelam diabolo est Deus locutus: quemadmodum etiam reges per hominem aliquem intermedium alloquuntur adversarium. »

SCHOLION I. Addendum hic est, quod Deus non tantum mediate per alium angelum, sed immediate per seipsum possit alloqui angelos seu bonos seu malos, nempe bonis aliquid per illustrationem manifestando, aut inspirando, malis vero vias eorum iniustas et negotia mala increpando, aut electorum contra illos iustitiam proponendo, vel ut iustorum innocentiam tentent, eis

(1) Quaestion. in s. Scripturam ad *Antiochum*, q. 42.

(2) Plura de his inveniet lector in *Sante Pagnino*, lib. 44, *Isagoge*, c. 53.

permittendo. Vicissim angeli boni loquuntur ad Deum per affectus voluntatis, aut desideria, vel motus admirationis, obsequii, amoris. Diabolus vero loquitur ad Deum, cum vel vias suas et negotia insinuat, non occultum aliquid Deo revelando, sed sciendo ac agnoscendo, quod actus suos oculis divinae maiestatis occultare non possit; vel cum electorum innocentiam fictis criminibus accusat, aut tentandam eorum innocentiam postulat (2).

SCHOLION II. Si liber *Iob* ea de causa, quod in eo describatur iterato concilium, cui Deus praefuerit, et ad quod praeter angelos bonos etiam satanas admissus fuerit, libere cum Deo colloquens, non esset historicus, sed fabulosus, eadem ratio probaret etiam librum tertium regum, aut certe caput illius ultimi historicum non esse, quia in illo simile traditur fuisse concilium, descriptum his verbis (3): « Et ait Dominus: quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat et cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba huiusmodi, et alius aliter. Egressus est autem spiritus, et stetit coram Domino, et ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: In quo? Et ille ait: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus: Decipies et praevalebis: egredere, et fac ita. »

106. ARGUM. V. Incerta est persona *Iob*, an ex *Nachor* fratre *Abraham* descendat, ut vult *Hieronymus*; an vero ex *Esau*, ut tradunt *Origenes*, *Ambrosius*, *Augustinus*. Incertus etiam eius locus et patria; quia *Origenes* L. 1 in librum *Iob*, vel alius eo posterior (4) *Iobum* in

(3) III. Reg. c. ult. v. 20-25.

(4) Libri tres in *Iob* non videntur esse *Origenis*, ut *Bellarminus* lib. de scriptoribus ecclesiasticis (v. *Origenes*) probat ex

terra *Hus* facit arabem: at alii patres eum faciunt idumaeum. Incertum etiam tempus, quo floruit; nam alii eum *Moysi* coevum, alii vero multo ante *Moysen* extitisse tradunt. Incertus denique libri auctor; multi enim illum tribuunt ipsi *Iobo*, alii alicui ex eius amicis, vel ex prophetis, alii vero ipsi *Moysi* (1); ergo liber *Iob* non habet characteres verae historiae, sed potius fabulae. R. Totam hanc anabaptistarum aut aliorum adversariorum, qui librum *Iob* non veram, sed commentitiam esse narrationem contendunt, objectionem erudite ac solide solvit *Salmeron* (2). Et in primis, etsi maxime obscurum esset, ex cuius progenie s. *Iob* descenderit, non ob id evinceretur, eum non extitisse. Nam aliunde constat, quod de quibusdam in Scripturis dubium sit, quibus parentibus sint orti, nec propterea perit ratio historiae. Imo vana esset quaestio a patribus ventilata, ex quo genere vel progenie *Iob* descenderit, quae eiusdem fuerit patria etc., si ille nunquam extitisset, et liber *Iob* mera esset fabula, aut parabola. Ceterum fateamur, controversum esse inter patres, unde *Iob* genus suum duxerit, de quo vide *Salmeronem* (3). Quod vero de *Iobi* loco incerto in objectione dicitur, falsum est. Erat enim terra *Hus* prope Idumaeam, et iuxta Arabiam. Nam Idumaea, teste *Plinio* (4), partim Syriae miscetur, cuius ultima ad occidentem solem

eo, quia auctor illorum trium librorum, lib. 2, meminit s. *Luciani* m. tanquam si iam tum martyrio affectus fuisset. At s. *Lucianus* posterior *Origene* fuit.

(1) Vide praefationem, quam in librum *Iob* supra attulimus.

(2) Proleg. 10 in s. Scriptur. can. 23.

(3) Loc. cit.

(4) Lib. 5, c. 15. (5) Loc. cit.

(6) Vide praefationem in hos libros, quas supra attulimus.

pars est, partim vero Arabiae Petrae, cui contigua est, et in eam excurrit. Unde non mirum, quod aiii *Iobum* faciant arabem, alii idumaeum. Similiter vanum est, quod adversarii dicunt de incerto tempore quo *Iob* extiterit. Vixit enim iste, quo tempore israelitae erant in captivitate Aegypti detenti, vel paullo ante, ut denuo ostendit *Salmeron* (5). Denique, quod incertus sit scriptor libri *Iob* nihil refert: satis est, hunc librum esse canonicum, ut infra (6) ostendemus, et Spiritum s. esse primum illius auctorem; sicut etiam de libris *Tobiae*, *Iudith* non satis constat, qui homines fuerint eorum scriptores immediati.

107. ARGUM. VI. Nec *Philo*, nec *Iosephus* iudaeus de *Iobo* mentionem faciunt, facturi certe, si librum *Iob* historiam potius, quam fabulam credidissent. Imo *Iosephus* in catalogo divinarum librorum librum *Iob* penitus omittit (7): ergo hunc librum nec historicum, nec canonicum esse censuit. R. Nulla fuit necessitas *Iosepho* aut *Philoni*, de *Iobo* loquendi. Aliunde enim constat, principalem *Iosepho* (idem de *Philone* censendum est) curam fuisse gentis suae iudaicae monumenta referre; unde facile *Iobum* utpote virum exterum et gentilem (8) negligere potuit. Multa insuper *Iosephus* in sua historia (9) praetermisit, licet illa in s. Scriptura inveniantur. Quare nullum argumentum duci potest ex *Iosephi* silentio ad infirmandam historiae *Iobi* veritatem. Dein quam-

(7) L. 1 contra *Appionem*.

(8) Vox *gentilis* est aequivoca. Saepe enim hac voce denotantur infideles et idololatrae, non raro tamen homo gentilis vocatur, praesertim a iudaeis, omnis ille, qui non est iudaeus, licet caeteroqui sit homo iustus et fidelis. Tales gentiles erant *Iobus*, *Melchisedeh*, etc.

(9) Vide supra num. 28 et 59.

vis *Iosephus* et *Philo* de hac historia sileant; tamen de ea non siluit *Aristaeas* pariter iudaeus (1) apud *Eusebium* (2) his verbis narrantem: « *Aristaeas* autem in iudaica historia de *Iob* quoque conscripsit, dicens, *Esau* ipsum filium fuisse, habitasse in *Idumeae* et *Arabiae* finibus, fuisseque ipsum et iustitia et divitiis praecipuum, tentatumque divinitus magnis calamitatibus fuisse.

Praeterea de historia *Iob* non siluere *Ezechiel* (3), *Tobias* (4), et *s. Iacobus* (5), apud quos aperta de *Iobo* mentio fit. Multum etiam in eam rem confert consensus veterum interpretum graecorum, chaldaeorum et syrorum in canonem librum *Iob* recipientium, ac huius historiae veritatem agnoscentium. Omnes tandem patres, quorum longum catalogum *Calmet* recenset, omnes catholici, et ipsimet protestantes non interruptae traditionis seriem pro veritate huius historiae constituunt, si paucos enthusiastas temere prorsus reclamantes excipias.

Neque obstat, quod *Iosephus* iudaeus in catalogo divinatorum librorum librum *Iob* penitus omittat. Nam tantum generatim (6) ait, praeter 5 libros *Moysis*, prophetas suorum temporum res gestas conscripsisse; non vero enumerat, nec par-

(1) Licet enim ipse *Aristaeas* se aegyptium, et ex custodibus corporis *Ptolemaei Philadelphi*, ac tandem religione gentilem asserat, operis tamen, quod exaravit, genus, ratiocinationes, sermo, expressiones iudaeum produnt. Vide *Calmet* dictionar. bibl. aut universal. lexicon basileense, v. *Aristaeas*.

(2) L. 9. Praepar. evang. c. 4.

(3) Cap. 14, v. 14.

(4) Cap. 2, v. 12.

(5) In epist. cathol. c. 5, v. 11.

(6) Verba *Iosephi* loc. cit (nimirum l. 4 contra *Appionem*) sunt haec: « In finiti libri non sunt apud nos discordantes et sibimet repugnantes; sed so-

luculatum singulos prophetas, aut eorum libros nominat, aut recenset. Dein eodem loco *Iosephus* agnoscit, probatque non secus ac iudaei omnes 22 libros canonicos, qui plane numerus numquam constabit, nisi in censum liber *Iob* referatur. Denique cum ecclesia iudaica semper librum *Iob* habuerit pro canonico, haud est credibile, eundem a *Iosepho* iudaeo fuisse canone exclusum.

108. ARGUM. VII. Conditor fabulae de *Iobo scepticus* fuit. Plura enim capita insumit ad illud evincendum, in hoc mundo dubia omnia atque incerta esse, nihilque perspectum haberi in tanta rerum obscuritate; prout patet ex *Iob* cap. 28, 38, 39 et 40. Ita anonymi *Hallenses* (7) contra *s. Iobum*, eiusque libri scriptorem obicere non verentur. Sed *q̄*. Novatores interdum prae libidine novandi ea non vident, quae tamen manifesta in oculos omnium incurrunt. Quid enim aliud vult citatum cap. 28, quam *veram sapientiam* praecipue *supernaturalem*, in qua potissimum religio versatur, humana sagacitate altiore esse, et non nisi a Deo largitore impetrari posse (8); *Tria* autem illa capita (nempe trigesimum octavum, nonum et quadragesimum) nos docent, divinam potentiam et

lummodo duo et viginti libri, habentes temporis totius conscriptionem; quorum iuste fides admittitur. Horum ergo quinque sunt *Moseos*, qui natiuitates continent, et humanae generationis traditionem habent usque ad eius mortem... A morte vero *Moseos* usque ad *Arlaxerxem* persarum regem... Prophetarum suorum temporum res gestas conscripserunt in tredecim libris. Reliqui vero quatuor, hymnos in Deum, et vitae humanae praecepta noscuntur continere.

(7) Tom. 8 *Observationum suarum*, observat. 15.

(8) Vide *Calmet* comment. in *Iob* c. 28, v. 12.

sapientiam esse homini prorsus incomprehensibilem, et inscrutabilia iudicia Dei (1). Numquid autem hoc non est verissimum? Aut haec asserta damnabilem illum scepticismum continent, quem anonymi illi *Hallenses* in libro *Iob* se invenisse putant? Nequaquam. Ceterum in admirabili illo colloquio suo cum *Iobo*, quod citatis tribus capitibus narratione tam illustri proponitur, praeter alios sapientissimos fines id spectasse videtur Deus, ut aegerrimum *Iobi* animum, variis cogitationibus curisque molestissimis atque acutissimis doloribus agitatum, admiratione simul ac voluptate, quae ex divinatorum operum enarratione percipi poterat, tranquillaret et demulceret, tum et modestiam in disputatione de rebus ordinis superioris singulariter commendaret.

109. QUÆRES II. Cur liber *Iob* adeo sit intellectu difficilis et obscurus? *q̄*. Equidem hic liber difficilis est semper habitus, et perobscurus. Praeter causas autem generales obscuritatis s. Scripturae, de quibus fortassis alibi agemus, sunt adhuc aliae speciales, et libro *Iob* propriae, ob quas hic liber intellectu difficilis et perquam obscurus redditur. PRIMA CAUSA est, quia dictus liber instar poematis est conscriptus verbis et locutionibus ab usitato loquendi modo discrepans, cum syriacas et arabicas voces quamplurimas hebraeis intermixtas, et figuratum dicendi genus habeat, quod alienis utitur, et translatis a propria significatione vocabulis, quodque pro diversa diversarum linguarum proprietate diversum est. Unde hae figuratae locutiones in varios patent sensus quasi aenigmaticae quaedam species, in quibus multa latent sen-

tentiarum semina; cumque variae linguae varias habeant metaphoras, varia proverbia, quae non facile assequitur illarum proprietatum ignarus, necesse est, tale dicendi, scribendique genus esse intellectu difficile ac perobscurum. Agnovit id *s. Hieronymus*, dum de sua versione libri *Iob* ita (2) loquitur: « Haec . . . . translatio nullum de veteribus sequitur interpretem, sed ex ipso hebraico, arabicoque sermone, et interdum syro, nunc verba, nunc sensus, nunc utrumque resonabit. Obliquus etiam apud hebraeos totus liber (*Iobi*) fertur, et lubricus, et, quod graeci rhetores vocant, ἐσχηματισμένος, dum qui aliquid loquitur, aliud agit, ut si velis anguillam vel muraenulam strictis tenere manibus, quanto fortius presseris, tanto citius elabitur. » SECUNDA CAUSA est, quia in libro *Iob* per modum dialogi disseritur inter *Iobum* et eius amicos, et non semper, quae *Iobo* opponunt eius adversarii, solida et vera sunt; nec etiam omnia, quae *Iob* dixit, ut illa, quae ipse Deus in fine disputationis in eo reprehendit (3), erant satis castigate dicta. TERTIA CAUSA est, quia argumentum disputationis altum fuerat et sublime. Disseritur enim in eo de divina providentia quae saepe mortalibus dubia, aut abesse videtur. QUARTA CAUSA est varietas et multiplicitas materiae, de qua in libro *Iob* disseritur. Quam enim saepe de divina natura, de moribus, de re astronomica ac physica sive a *Iobo*, sive ab eius amicis inductus sermo? Quare qui digne opus istud versare atque explicare voluerit, scientiarum omnium thesauro praeditus sit oportet. Porro de libri *Iob* obscuritate et illius

(1) Vide *Tirmi* comment. in *Iob* c. 59, v. 34; et c. 40, v. 5.

(2) Praefatione priori in lib. *Iob*.

(3) *Iob* c. 59, v. 32.

causis vide *Salmeronem* (1), *Pinedam* (2) et *Sanctium* (3).

110. QUÆRES III. *An liber Iob sit canonicus?* R. Hic liber est canonicus, et quidem protocanonicus (4); cum de eiusdem divina atque canonica auctoritate hactenus nullum inter orthodoxos fuerit dubium. Illum enim ecclesia tam iudaica quam christiana in canone sacrorum librorum indubitanter recepit; prout ex omnibus, quibus canon s. Scripturae nititur, monumentis (5) constat; unde non nisi perpauci inter christianos, iique exiguae apud suos auctoritatis reperti sunt, qui divinitatem libri *Iob* impugnare ausi sunt. His accensendus est *Theodorus Mopsuestenus* (6), qui huius libri auctorem (qui est ipse Spiritus s.) accusat, quasi degeneri quadam et foeda sapientiae suae ostendendae vanitate, simulque ut omnem, quam comparaverat, fabularum et profanarum historiarum mercem expanderet, *Iobum* ipsum absurda et tanto viro eiusque religione indigna loquentem induxerit, quibus non morum aedificationi, sed potius corruptioni serviret. Verum hanc *Theodori Mops.* blasphemiam in solutione obiectionum confutabimus.

ARGUMENTA CONTRARIA.

111. ARGUM. I. In libro *Iobi*, inquit *Ioannes Clericus* (7) divini nihil est, vel prophetici. Dicta enim amicorum eius non habent auctorem Deum: et dicta *Iobi* querelae sunt, quae vel profano homine prorsus indignae, et quae tantum non in

(1) Prolegomeno 10 quinquag. 2, c. 24.

(2) Praefat. in librum *Iob* c. 8.

(3) Prolegomeno 9 in librum *Iob*.

(4) V. supra de libro *Tobiae*, q. 1, n. 1.

(5) Ibidem num. 1-5.

(6) Vide synodum v. oecumen. seu constantinopol. II, collat. 4, art. 63.

(7) In iudic. de hist. crit.

blasphemias vergant. R. Inprimis falsissimum est, nihil divini aut prophetici contineri. Quid enim aliud, quam illustris de Christo et resurrectione mortuorum prophetia sunt illa *Iobi* (8) verba: « Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt, et non alius? » Quem locum ex libro *Iob* cum adduxisset s. *Hieronymus* (9), statim subdit: « Quid hac prophetia manifestius? Nullus tam aperte post Christum, quam iste ante Christum de resurrectione loquitur. » Similiter s. *Augustinus* (10) post recitata illa verba: « Et in carne mea videbo Deum, mox addit, quod de illo tempore prophetavit (s. *Iob*), quando Christi Deitas habitu nostrae carnis induta est. »

Et s. *Gregorius M.* (11) Christi incarnationem a *Iobo* dicit esse praedictam, ac alibi (12) ait: « Crebro dixisse me memini, quoniam beatus *Iob* passiones Redemptoris nostri eiusque corporis, id est, sanctae ecclesiae, et passione signavit et nomine... Sanctus (*Iob*) per vulnera et verba sic loquatur sua, ut etiam nostra significet, et plerumque per prophetiae spiritum futura narret, praesentia transcendat. »

Quibus verbis s. *Gregorius* simul innuit, non tantum verbis, sed factis etiam prophetari posse et signis, quod fecit e. g. *Isaias* (13), *Ieremias* (14), *Ezechiel* (15), qui in seipsis futurorum signa quaedam e-

(8) *Iob* c. 19, v. 25-28.

(9) Ad *Pammach.* contra *Ioann. Hieros.*

(10) Tom. 10 inter homilias de tempore, sermo 2 de nativitate Domini.

(11) L. 14 Moral. c. 26.

(12) L. 17 Moral. c. 1.

(13) Cap. 20.

(14) Cap. 27, v. 2. (15) Cap. 4.

didere prognostica. Et sic etiam, si quae passus est *Iobus*, et quae post passionem consecutus fuit, attente consideres, videbis in illo patientis *Christi*, et deinde gloriose resurgentis non adumbratam, et obscuram, sed vivam quandam, et spirantem imaginem. Nam *Iob* percussus fuit aut lepra aut alio morbigenere tam acerbe, ut in toto corpore nihil esset a dolore vacuum: talem quoque *Isaias* (1) intuebatur *Christum* patientem. *Iob* satanae traditus est, ac despectus a suis, et ab illis illusus, quibuscum antea familiariter vixerat, et amice: quod idem etiam accidit *Christo* in passione derelicto a suis (2), et tenebrarum potestati tradito (3). *Iob* post durum certamen, post squalorem et ignominiam ad gloriam rediit, et multo ampliora consecutus est, quam ante perdidit (4), in quo gloriam illam et splendorem expressit, quem post passionem *Christus* redivivus obtinuit. Atque hunc parallelismum inter *Christum* et *Iobum* carptim hic delibatum prolixius describunt *Pineda* (5), *Salianus* (6) et *Goldhagen* (7). Quare si ullus typice *Christum* patientem et post passionem gloriose redivivum adumbravit, *Iob* sane omnium maxime, atque ideo in hoc prophetandi genere princeps fuit. Unde optime *Beda* (8) inquit: « Sanctus *Iob*, vir summae patientiae et virtutis, Deique testimonio appellatus, multa de Domino prophetavit, cuius etiam ipse personam figuratiter gessit. »

(1) Cap. 53, v. 2-6.

(2) Matth. c. 26, v. 56.

(3) Luc. c. 22, v. 53.

(4) *Iob* c. 42, v. 12.

(5) Comment. in *Iob* p. 1 in praefat. c. 7.

(6) Tom. 1 annal. eccles. p. 330.

(7) Introd. in s. Scriptur. p. 2, pag. 220, n. 125.

112. Porro, cum *Ioannes Clericus* in allata ad initium huius numeri obiectione ait, dicta amicorum *Iobi* (in eiusdem libro relata) non habere auctorem Deum, ideoque librum *Iob* negat esse divinum et canonicum, suam aut ignorantiam, aut malitiam manifeste prodit, nihilque prorsus hoc argumentandi genere contra canonicam auctoritatem libri *Iob* evincit. Nam ut liber aliquis sit canonicus, plus non requiritur, quam ut Deo auctore seu tanquam verbum suum dictante sit scriptus: non vero, ut omnia, quae ibi narrantur ut dicta, Deo auctore sint dicta. Alioqui expungendi essent prorsus a canone illi libri, in quibus a sacro historico aliorum mendacia aut ficta commenta referuntur: qualia e. g. fuerunt, quae *David*, cum *Saulis* vesanum furorem declinaret, dixit ad sacerdotem *Achimelech* (9) aut ad *Achis* regem *Geth* (10) aut quae dixit *Amalecita* (11) narrans *Davidi Saulis* mortem, ut suo loco (12) probavimus: nemo tamen ideo negabit, libros illos Regum, in quibus haec narrantur, canonicae fidei pondus habere. Nimirum cum scriptor sacer aliorum refert orationem et verba, refert quidem illa fideliter, non tamen hoc ipso ea probat: quare illa dicta fuisse, de fide est, non tamen semper canonicae fidei pondus habent, quae dicta narrantur; sicut quando codex sacer narrat, aliqua gesta esse, de fide est, ea gesta fuisse, non tamen eadem semper Deo auctore sunt gesta, sed saepe sunt peccata et scelera.

(8) In principio libri primi expositio in *Iob*.

(9) I. Reg. c. 21, v. 2, vide *Cornel. a Lap.* in hunc locum.

(10) I. Reg. c. 27, v. 10.

(11) II. Reg. c. 1.

(12) S. Scriptur. contra incred. propugn., V. T., p. 5, q. 22.

At DICES: Si in amicorum *Iobi* verbis error aliquis aut culpa est, quomodo illorum verba s. *Paulus* tanquam laudabilia adducit, dicens (1): « Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum: scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum. » Quae ultima verba (2) protulit *Eliphaz Iobi* amicus. R. Non omnia amicorum *Iobi* verba sunt culpanda, sed, ut *Sanctius* (3) recte observat, ipsorum propositiones generales, quas logici maiores appellant) omnes sunt, aut certe pleraeque verae ac aliis Scripturae locis comprobatae; quamvis in applicatione earum ad sanctum *Iob* illi errarint. Ceterum in hoc ipso loco *Pauli* ad corinthios satis indicatur, librum *Iobi* esse canonicum; sic enim verba ex libro *Iob* desumpta ibi citat apostolus, quomodo citare illa assollet, quae ex Scriptura sumit. Ait namque, *scriptum est enim*: qui modus loquendi adhiberi non solet nisi cum ex Scriptura sacra verba promuntur. Et cum his verbis ex libro *Iob* sumptis: *Comprehendam sapientes in astutia eorum*, alia coniungit, quae negare potest nemo canonicae fidei habere pondus, cum sint ex psalmo 93, v. 11. *Et iterum* (dicit nempe Scriptura): *Dominus novit cogitationes sapientum, quoniam vanae sunt.*

113. COROLLARIUM: Colloquia amicorum *Iob* in iis, quae cum a iis Spiritus s. oraculis seu Scripturae locis consentiunt, authenticae fidei valent: ac licet amici *Iob* locuti non fuerint, ut prophetae aut

(1) I. Cor. c. 5, v. 19.  
 (2) Iob c. 5, v. 15.  
 (3) Comment. in Iob c. 4, v. 1, n. 7.  
 (4) Lib. ad Oros. c. 9.  
 (5) Quaest. 4, n. 85-88.  
 (6) Iob c. 1, v. 20, c. 2, v. 10. Similiter in cap. ult. v. 7. Deus ad *Eliphaz* ait: *Iratus est furor meus in te, et in*

homines theopneusti, fuere tamen viri a pietate et rerum humanarum ac divinarum scientia commendati, quorum dicta, qualiacunque demum fuerint, scriptor theopneustus libri *Iob* fideliter recenset, atque *ex eorum verbis*, inquit s. *Augustinus* (4), *potest aliquam sanam sententiam assumere, qui novit sapienter dicta discernere.*

113. Denique de querelis *Iobi*, et nonnullis asperius ad speciem ab eo prolatis, quae *Ioannes Clericus* canonicae auctoritati libri *Iob* obstare putat, dicemus infra singulari quaestione (5). Interim id solum observo generatim; cum beatus *Iob* variis totius libri, nomine ipsius inscripti, locis maxima patientiae, spei et fiducia exhibeat argumenta; cum idem divina sententia iterato absolvetur (6), quod *labiis suis non peccaverit*, licet leviores naevos, quorum a Deo veniam (7) demisse expetit, nonnullos admiserit: cum insuper ipse et propheta et CHRISTI IESU typus fuerit, pleraque eius verba non ex superficie litterae, sed ex mystico in iis latente sensu, quem ss. patres, praesertim s. *Gregorius M.* (8) tam luculenter evolvunt, sunt aestimanda. Unde hic s. pater (9) recte monet, dicens: « Quaedam verba responsionum *Iob* imperitis lectoribus aspera resonant, quia sanctorum dicta pie intelligere, sicut dicuntur, ignorant; et quia animum dolentis et iusti in semetipsis assumere nesciunt, ideo doloris verba bene interpretari non possunt. »

114. ARGUM. II. *Theodori Mopsuesteni*, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus *Iob*.

(7) Iob cap. ult. v. 5, 6.  
 (8) Exposition. moral. in librum *Iob*.  
 (9) In prologo seu praef. s. *Gregorii M.* cap. 5. Posita autem est haec praefatio ante expositionem moralem in lib. *Iob*.

*psuesteni*. Auctor libri *Iob*, inquit ille (1), fabularum et poeticonum eventuum profanam scientiam ostentat, et *Iobum* ea proferentem inducit, quae optimi viri sanctitati minime respondent, et nequitiae potius, quam probitatis exemplum praestant. R. Hae blasphemiae *Theodori* sunt potius contemnendae, quam multis refutandae, cum careant omni solido fundamento, et pridem in concilio v oecumenico collatione IV sint reprobatae. Dum enim ibidem septuaginta articuli *Theodori Mopsuest.* recensentur, ante articulum 63 haec verba leguntur: « Eiusdem *Theodori* reprobantis et librum *Iob*, et contra conscriptorem eius, id est, sanctum Spiritum dicentis, quod pagana sapiens hunc librum conscripsit. » Et ante articulum 66 ita legitur: « Et per omnia reprobans (*Theodorus Mopsuest.*) scripturam *Iob*, et conscriptori maledicens (idem autem est dicere sancto Spiritui) in fine interpretantis blasphemiae suae ita dicit etc. » Ac post omnes recensitos 70 articulos subditur: *Isti sunt thesauri impietatis Theodori.*

Fundat quidem *Theodorus* blasphemam opinionem suam in iis, quae cap. ultimo libri *Iob* leguntur, de imposito scilicet tertiae *Iobi* filiae nomine *Amaltheae*. Nam artic. 66 ita ait: « Hoc enim quod (scriptor libri *Iob*) dixit, tertiam filiam suam *Amaltheae cornu* eum (scilicet *Iobum*) vocasse, nihil aliud est quam ostendere eum, nempe *Iobum* paganis fabulis assentientem et idololatriae figmenta diligentem. » Verum audax ille criticus non atten-

(1) Vide apud *Binium* concil. oecumen. v. seu constantinopolitanum II, collat. IV.  
 (2) Vide supra num. 69, scholion 5.  
 (3) Vide supra num. 68 et 70.  
 (4) Vide praefationem nostram in lib. *Iob* supra positam.

dit, quod scriptor libri *Iob* (nimirum *Moyses* vel ipse *Iob*) vixit ante inventas ethnicorum fabulas (2); adeoque *Iobum* non potuit ostendere paganis fabulis assentientem. Praeterea quamvis in textu graeco *Iob* 42, v. 14 dicatur: *Καὶ ἐκάλεσε... τριτὴν Ἀμάλθειας κέρας, Et vocavit... tertiam Amaltheae cornu*; tamen in textu hebraeo non nomen poeticonum, *cornu Amaltheae* sive *abundantiae*, sed *קַרְן הַפִּיךְ cornu seu vas pigmenti* legitur, quocum nostra vulgata latina habens hoc loco nomen *cornu-stibii* consentit (3).

Nec cetera *Theodori Mops.* momenta meliora sunt; scriptor enim libri *Iob*, quicumque tandem (4) censeatur, *Iobum* exhibuit (quem ipse maxime in scribendo scopum intendebat) tanquam illustre iustitiae et patientiae documentum. Id nobis semper ratum erit certumque, Ecclesiae maxime consensu nostram hanc sententiam probante, quoad usque contrarium omnino non fuerit demonstratum: contrarium autem nec *Theodorus Mops.* demonstrare potuit, nec ullus alius unquam poterit.

115. ARGUM. III. Impii *Spinosae*, aliaque quae ab adversariis contra librum *Iob*, eiusque canonicam auctoritatem obiici solent, iam supra (5) soluta sunt, aut in sequentibus quaestionibus solventur. Unde de his hoc loco agere supersedeo.

116. QUERES IV. *An Iob graviter peccaverit labiis suis?* Antequam respondeam, observo, quod dubium hoc inde potissimum ortum sit, quia *Iob* (6) maledixit diei suae natali, et optavit, ut nunquam fuisset natus. Unde quidam iudaei, et ex

(5) Num. 72. Et universim tota quaest. 1, praesertim n. 66-76.  
 (6) Iob. c. 5, v. 1, etc. Item Iob c. 10, v. 1 et 18.

sectariis *Brentius* et *Anabaptistae* asseruere, *Iobum* fuisse blasphemum, et male sentientem de divina providentia. His accessit *Ioannes Clericus* (1) qui inde conclusit, librum *Iob* non esse divinum, utpote nihil sancti et divini, sed potius querelas *Iobi* continentem vel ethnico homine, ut ait, indignas, et tantum non in blasphemiam vergentes. Verum impia est haec *Clerici* et aliorum criminatio. Nam ex multis argumentis, quibus *Salmeron* (2) *Iobi* immunitatem ab omni blasphemia et graviore peccato luculenter ostendit, sufficiant haec duo: I. Si *Iob* blasphemando aut maledicendo peccasset, non fuisset a ss. patribus et ab ipsa Scriptura iterato (3) propositus tanquam exemplar patientiae et sustinentiae, sed potius in detestationem impatientiae et blasphemiae. II. Neque Deus post longam illam *Iobi* cum amicis suis disputationem dixisset ad *Eliphaz* (4): « Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus *Iob*. » Nec evadit iudaeus dicendo, quod *Iob* poenituerit; alii vero de peccato suo poenitentiam non egerint. Nam contra est: Etiam alii, pro quibus exauditus est *Iob* sacrificans (5), probabilissime de sua stulta locutione poenitentiam egerunt, ut illis Deus remitteret; praesertim quia Deus post verba modo citata ad *Eliphaz* perrexit dicere: « Sumite ergo vobis septem tauros, et septem arietes, et ite ad servum meum *Iob*, et offerte holocaustum pro vobis: *Iob* autem servus meus orabit pro vobis... Abierunt ergo *Eliphaz* The-

(1) Vide quae supra num. 78 diximus.  
 (2) Prolegom. 10 in s. Scriptur. canon. 26.  
 (3) Tob. c. 2, v. 12. Et in epist. cathol. s. Iacobi, c. 5, v. 14.

manites, et *Baldad* *Suhites*, et *Sophar* *Naamathites*, et fecerunt, sicut locutus fuerat Dominus ad eos etc. » Praeterea Deus illis verbis praecedentibus: *Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Iob*, laudat *Iobum* de toto progressu disputationis, in qua si *Iob* labiis graviter peccasset, falsum esset dicere, quod *Iob* fuerit locutus rectum coram Domino, et socii seu amici eius oppositum. Verum audiamus alia adversariorum

ARGUMENTA CONTRARIA.

117. ARGUM. I. *Iob* maledixit diei nativitatibus suae, et optavit ut nunquam fuisset natus, ut patet ex his eius verbis (6): *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: conceptus est homo*: sed talis maledictio et optatio fuit grave peccatum. ¶ Duplex potissimum aut triplex est modus *Iobum* ita loquentem excusandi a gravi peccato. PRIMUS est, quo s. *Hieronymus* (7), aliique utuntur, dicentes, *Iobum* non suam hic solius calamitatem deplorare, sed communem, quae ab originali labe emanavit in longam *Adami* posteritatem, lamentarique, quod ipse cum aliis *Adae* posteris in peccato, ex quo tot poenae et miseriae consequuntur, natus sit. Sic enim etiam alii sancti et prophetae multum affligebantur in consideratione nativitatibus sub peccato. Unde s. *Hieronymus* loc. cit. expendens illa *Iobi* verba: *Pereat dies, in qua natus sum etc.* expresse ait: *Nulli dubium est, quod hi omnes loquitur de Iobo, et Ieremia, qui (8) pariter in haec verba: Maledicta dies, in qua natus sum etc. prorupit*

(4) Iob. c. 42, v. 7.  
 (5) Ibidem v. 8 et 9.  
 (6) Iob. c. 3, v. 3.  
 (7) Comment. in Iob. c. 3, v. 3.  
 (8) Ierem. c. 20, v. 14.

*praeveraricationem Adae detestentur*. Nimirum cap. 1 et 2 *Iob* loquitur de suis afflictionibus sibi immissis, iactura scilicet bonorum et liberorum, ac ulcere pessimo totum corpus depascente; in quibus tamen afflictionibus se adeo in Dei beneplacito resignabat, ut in nullam peccaminosam vocem erumperet. Verum post 7 dies, quas cum amicis in silentio transegit, immunditiam peccati contemplatus, in quo conceptus et natus fuit, tanto eius odio exarsit, ut in haec execrationis verba erumperet: *Pereat dies, in qua natus sum, et nox etc.*, animo utique non alio, quam ut detestetur peccatum, in quo homines nasci contingit. Nec mirum, si *Iob* notitiam habuit originalis peccati illo tempore, quo nondum erat data lex scripta; quia fide apprehendit illud; sicut cum dixit (1), *scio, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sim*, agnoscens se indigere Redemptore. Ceterum peccati originalis in nos transfusi maculam *Iob* etiam a libi (2) professus est, dum exclamat: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine; nonne tu qui solus es?* Quem textum patres, aliique interpretes de immunditia per peccatum originale contracta intelligunt (3).

118. ALTER MODUS explicandi et a gravi peccato excusandi illa *Iobi* verba, *pereat dies etc.* ostenditur nobis a s. *Thoma* (4), *Sanctio* (5), pluribusque aliis contententibus, verba *Iobi* modo allegata esse duntaxat vocem sentientis naturae, non

(1) Iob. c. 19, v. 25. (2) Iob. 14, v. 4.  
 (5) Vide *Pinedam* comment. in Iob. c. 14, v. 4.  
 (4) In c. 5, Iob. lectione 1.  
 (5) Prolegom. 5 in librum Iob. Item comment. in Iob. c. 3, v. 1.  
 (6) Vide supra ad finem num. 78.

rationis aliter iudicantis. Saepe enim dolor et afflictio vehemens vocem exprimit gravis doloris testem, etiamsi ratio contra sentiat, imo quod patitur eligat et amet. Sic strenuus miles aut gladiator robustus gemunt interdum, accepto vulnere, et cum doleant gemantque, tamen neque vulnus statim alligant, neque vitae conservandae desiderio aciem aut arenam deserunt, nec mortem evitant, quam ante oculos observari vident. Idem ferme in aegroto quotidie videmus, qui horret cauterium et chirurgi manum, et potionem amaram: quam cum praesentem habet, fastidiente ac nauseante stomacho, haurit tamen non illibenter, et agit gratias illi, a quo eam praeparari atque propinari contigit. Sed optimum habemus exemplum in Christo, cuius in suis afflictionibus *Iob* referebat imaginem (6): nam cum crucem et passionem appeteret usque adeo ut quamlibet moram existimaret esse instar mortis, ut ex eius desiderio (7) clamaret *coarctari* se, id est, spiritum suum affligi vehementer, donec suo se sanguine baptizaret; nihilominus in eo naturae sentientis infirmitas ita horrebat mortem, et dirum illius genus, ut taceret paveretque, suumque dolorem sanguineo sudore testaretur, et voce habituque maxime significante oraret, ut a se propinati calicis amara potio, si consentiente divino Patre id fieri posset, transiret (8).

Sed DICES, illam *Iobi* querimoniam, *pereat dies in qua natus sum,*

(7) Luc. c. 12, v. 50, ubi Christus ait: *Baptisma autem habeo baptizari; et quomodo coarctor usque dum perficiatur?* quae verba de passione Christi intelligenda sunt; prout *Calmet*, aliique interpretes exponunt.  
 (8) Luc. c. 22, v. 42.

et nox in qua dictum est: *conceptus est homo*, vocem impatientis esse animi; neque enim tantum dolet, sed etiam malum aliquod imprecat diei, in qua natus, et nocti, in qua conceptus est, quod non videtur a gravi aliqua culpa excusari posse.  $\text{\textcircled{R}}$  Si *Iob* maledicendo diei nativitatis suae graviter peccasset, etiam *Ieremias*, qui pariter diei suae natali maledixit (1), gravis peccati arguendus esset: quod nemo patrum aut interpretum orthodoxorum de propheta in utero sanctificato (2) asserere unquam ausus est. Nimirum hi et similes modi loquendi: *Maledicta dies in qua natus sum etc.*, in quibus aliqua apparet execratio, tantum significant dolorem acerbissimum, neque valent aliud, quam interiectio *heu, hei, vae*, ut exponit *Theodoretus* in locum citatum *Ieremiae*, et *Chrysostomus* in catena ad cap. 3 *Iob*. Neque videtur verisimile, viros hosce tantos, tamque illustratos divino lumine, execrationes has diras intorquere voluisse, aut in res inanimatas, quae peccaverunt nihil, aut in tempus illud, quod iam omnino praeterierat, neque pati aliquid poterat ab execratorio diroque illo convitio. Igitur *Iob* et *Ieremias*, supervenientibus sibi tribulationibus magnis, maledixere diei nativitatis suae, ut ostenderent, se esse in tantis miseriis, ut vita sua secundum partem inferiorem seu appetitum sensitivum, quem homines ut plurimum sequi solent, odibilis sibi sit et onerosa. Consuetum enim est apud sapientes, ut passionum suarum motus, quos sentiunt, ma-

(1) *Ierem.* c. 20, v. 14, ubi hic propheta ait: *Maledicta dies, in qua natus sum; dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta.*

(2) *Ierem.* c. 1, v. 5.

(3) *Iob* c. 3, v. 1.

nifestent, licet ratio seu animae pars superior illos non approbet. Confirmatur haec explicatio ex eo, quia sacer textus (3) de *Iobo* ait: *Post haec* (i. e. post septem dies ab amicorum adventu) *aperuit os suum, et maledixit diei nativitatis suae.* Ex quo facile colligitur, quod *Iob* ex nulla animi graviter vitiosa perturbatione locutus sit, quae non tanto tempore dedisset quietem et silentium: sed ex ratione et matura deliberatione. Dicitur enim, quod *aperuerit os suum*, non solum ad significandum, quod prolixiorem sermonem esset habiturus, et de rebus magnis et gravibus, sed etiam ad insinuandum, quod ex deliberata et meditata ratione haec loqueretur. Cum enim quis passione aliqua agitur in verba prorumpit, non ipse sibi proprie os aperit, sed passione, e. g. ira aut dolore, et quidem praepropere agit ad loquendum. Vide s. *Thomam* (4).

Ceterum, etiamsi *Iob* (idem est de *Ieremia*) citatis verbis vere maledixisset diei nativitatis suae, non sequitur, quod graviter peccaverit. Nam iusta de causa licitum est optare irrationabilibus creaturis (5), e. g. diei nativitatis malum, nempe ut non sint, aut ut careant aliquo suo ornamento, ut *Tirinus* (6) cum aliis recte observat. Neque vero laeditur hic charitas, cum adversus irrationabilia non sit charitas. Suppono autem non maledici eis, quatenus creaturae Dei sunt, neque in odium proximi, sed solum ut sunt causa, exordium, aut occasio malorum. Porro licere volitione inefficaci et conditionata ac gravi de

(4) In *Iob* c. 3, lect. 1.

(5) Immo etiam rationabilibus creaturis licet in certis circumstantiis certa ratione optare malum, ut theologi morales explicare solent.

(6) *Comment.* in *Iob* c. 3, v. 1.

causa desiderare se *natum non esse* (dummodo absoluta et efficaci voluntate resignatus sis in omnem voluntatem Dei, ut erat *Iob*), patet etiam ex ipsius Christi exemplo orantis (1): *Transeat a me calix iste.*

119. TERTIUS MODUS a gravi peccato illa *Iobi* verba, *pereat dies etc.*, excusandi est, si cum *Calmeto* (2) et aliis dicamus, *Iobum*, qui erat *vir magnus inter omnes orientales* (3) etiam in modo loquendi secutum esse stylum orientalium. Notandum enim est, orientalium populorum stylum magis elatum, vividum atque patheticum esse, quam nostrum. Igneum quid spirat et hyperbolicum, ut frequenter ipsorum verba et phrases debeant infra veram earum significationis vim accipi, si genuinum earum sensum assequiverimus. *Ieremias* (4) easdem ferme ac *Iob* adhibet voces, maledicens diei nativitatis suae; eas certe, quas aegre possis in homine quovis alio excusare. Psalmi (5), alique Scripturae textus non raro locutiones continent, quae primo intuitu nimis acres et vehementes videntur. Nempe hi impetus, qui videntur reverentiae et obsequio in Deum adversari, merissimae sunt hyperbolae aut figuratae locutiones ex more orientalium. Igitur etiam verba *Iob* in mitiorem sensum revocanda sunt, et semper prae oculis habendum s. *Gregorii* monitum supra (6) indicatum, docentis, verba *Iobi*, quae nimis aspera videntur,

(1) *Luc.* c. 22, v. 42.

(2) *Comment.* in *Iob* c. 3, v. 1.

(3) *Iob* c. 1, v. 5.

(4) *Ierem.* c. 20, v. 14.

(5) *Exempla* habemus psalm. 42, v. 1, psalm. 43, v. 24.

(6) *Num.* 80.

(7) *Iob* c. 2, v. 12. Et in epist. catholic. s. *Iacobi* c. 5, v. 11.

(8) Tales sunt *Tertullianus* 1 de pa-

mitiori sensu intelligenda esse. Igitur verba, quibus *Iob* maledixit diei nativitatis suae, intelligenda sunt in sensu num. 84 vel 85 indicato, aut alio *Iobum* a gravi peccato excusante.

Et profecto si *Iob* vere in gravis impatientiae et blasphemiae scelera lapsus esset, satan de eo triumphasset, et laudes patientiae eius a Scriptura (7), et patribus (8) asseratae mendaces forent, quod nemo orthodoxorum dixerit nec dicere potest. Verbis igitur *Iob* sensus attribuendus est, qui procul absit a blasphemia, atque impatientia graviter peccaminosa, quas praesefere primo aspectu videntur.

Non ideo tamen adeo excusandus est *Iob*, ut singula ipsius verba probare conemur; quaedam enim acria nimis, ac violenta videntur; ac heros noster similis bellatori fuit, qui hostis quidem impetum fortiter propulsat, ipsumque demum prosternit, atque vincit; non tamen quin et ipsi quaedam vulnera saltem levia et non mortifera fuerint inflicta, ut ex sequenti quaestione a nobis discutienda palam fiet. *Iob* spiritu blasphemiae tentatur: intrinsecus acerrimis stimulis urgetur; eos patitur pluribus diebus, aut fortasse mensibus; tandem luctus ac lacrymae excidunt; cor ipsius coram suis amicis effunditur, dolorem suum acribus sane, vehementibusque vocibus testatur; quin tamen graviter violet reverentiam, quae providentiae, ac sapientiae

tientia c. 14, s. *Chrysostomus* homil. 5 ad populum antiochenum, initio, s. *Gregorius Nazianz.* orat. 21 in laudem *Athanasii*, *Sulpitius Severus* l. 1 historiae sacrae, s. *Cyprianus* l. de bono patientiae. Hi omnes expresse dicunt, *Iobum* fuisse invictae patientiae, et nullis Satanae tentationibus potuisse frangi, prout legenti ipsorum verba loc. cit. patebit.